Eccl[esi]ae orthodoxae, q[uae] e[st] Bernae in celebri Helvetiorum Republica, salutem ab unico salutis fonte Jesu Christo, Bipontinatus Sacri verbi Ministri.

Ducatus Bipontinus, ditio Illustrissimi Ducis Friderici Palatini, Patria nostra charissima, hactenus indefessam pauperum, exulumq. curam habere consuevit: In illa enim persecutione, q ante decennium in Palatinatu grassari coeperat, adeò humaniter excipiebamus, tractabamus, alebamus, omnes et singulos, tecta subsidiaq. nostra petentes, ut nemo ministrorum esset, q suum stipendium vel aequaliter vel proportionaliter distribuere dubitaret. Quid multis! Exiguus iste ducatus, utut per crebras exactiones, incursionesq. militum vehementer afflictus, ultra integrum quinquennium ArchiPalatinorum Pella fuit. O nos felices, si adhuc in dantium et non accipientium terminis versaremur. Dare enim beatius quam accipere Christo teste act: 20 35. Verum o quanta, Jam brevi temporis spatio, rerum immutatio! O quam Cadaverosa nunc afflictissimae Patriae nostrae facies! Quocunq. n. aures vertas, audias vel vociferantes, vel lamentantes; quocunq. oculos videas fame vel tabescentes, vel tumescentes, vel miseras animas trahentes. Vici, oppida ante benè habitata, nunc vacua extant. Incolae superstites, in urbem unam atq. alteram confluxerunt et horum plurimi nulla cum re sunt, reliqui verò, qbus aliqd superest, adeò ab infesto et crudeli milite exhauriuntur, ut neq. domesticorum, neq. peregrinorum pauperum, etiamsi lubentissimè vellent, rationem habere possint, quippe q ipsi radicibus herbarum, atq. foliis arborum, plerumq. sine pane

sine sale, sine adipe ad decem et amplius septi-
manas vescantur: Caninae, Equinae, felium car-
nes pro delitiis habentur. Quid multis? tanta
rabies famis nonnullos agitat, ut mortuorum
hominum cadavera paululum obesiora in ca-
populare fuerint ausi. Filia alius suras matris
exectas, devorâsse narrat. Ex vicinis binis mu-
lieribus, de equinis carnibus, manus conserentibus,
altera occubuit. Propè Bipontum in pago
Nirschwiller, mortuis parentibus restabant duo
liberi, frater et soror. hâc mortuâ frater pro
cibo usus est. Accidit ut mendicus, qui ad temporis
eo appulit, à famelicis occisus, et devoratus sit.
Exempla talia ferè hîc sunt innumera.
In oppidis nostris non usque adeò copiosis, trecen-
ti quadringenti et plures mendicantes obambu-
lant et vix micas panis impetrant. Superio-
ribus propè annis, milite Hispano isthîc de-
gente, gravissimae Patriam nostram inferunt
calamitates, ut nunc longè graviores. Tunc
interdum in pagis, extra urbes, licebat esse
tutis nunc minimè. Tunc agri segetu
pleni, nunc maximam partem in toto
Palatinatu jacent inculti: Tunc spes mes-
sis, nunc paucissimis locis exceptis plane
nulla. Haec est illa dies, haec illa sunt tempor
quibus Deum nostrum, contemptus verbi sui vin-
dicem experimur acerrimum, in nimis veru
cissimum. Dicta calamitas non tantùm con-
tingit plebejos verum etiam nos S. verbi
Praecones, defunctorumque orphanos et viduas
exutos omnibus bonis suis, suorumque stipendiorum
per temporum injuriam, prorsus expertes, non

inquam

inquam contingit, quod nil jam cupimus, quam ut possimus, Dei misericordia reservatis, ministerio sacro servire docendo, instituendo, corrigendo, consolando. At unde nos, unde nostros sustentemus, vix ac ne vix quidem habemus. Quid in tanto, et vita nostra et æterna auditorum nostrorum salutis periculo (periclitabuntur enim, absque dubio ubi nos ab illis discesserimus.) consilii? confugiamus ad Magistratum? At Magistratus, at principes, subditis suis ad incitas redactis, non potis sunt juvare! Confugiamus ad auditores nostros! horum pleriq. fame, gladio, morbis periere reliqui Codro pauperiores sunt. Confugiamus ad Electoralis Palatinatus ministros, et copiosi illius, hactenus ex diversis Provinciis, ad illos transmissi subsidii partic. ipacionem rogemus? At quibusdam ex nostris hanc ipsam petentibus, rotunde denegata est. Quid ergo? Ad vos Reverendi Doctissimi, et pietatis et charitatis exercitiis undequaq. terrarum Clarissimi Viri: Ad vos, inquam, in Christo fratres, ad vos in Christo sorores, cujuscunq. sitis ordinis, status, conditionis, confugimus atque ea qua par est reverentia precamur, rogamus, oramus, nostrum vos misereseat, misericordiæ vestræ fontes, ad nos derivate, faciles benignos ac clementes, sacris vos Bipontinatus Ministris præbete, conferte, conferte, quod quantumcunq. lubet, in nostram sustentationem.

Ipsam nostram petitionem quæ prima est, (hactenus enim ex Bipontinatu nullas in genere Eleemosynas, neque rogavimus neque accepimus) summopere vobis cordi futuram minime dubitamus. In ore siquidem quod omni populo, quam beneficios vos hactenus in exules verbi Ministros vel eorum viduas et orphanos exhibueritis. Atque eo minus, cum ipse Dominus Servator, adeo sibi placere opera beneficentiæ ostenderit, ut vel guttulis aquæ suis discipulis porrectis

gratuitam quidem, at copiosissimam mercedem
statuerit. Nos quod attinet, in precibus nris,
vestrum semper erimus memores. Deum triunum
orantes vobis longissima halcyonia largiat, con-
servet ab omni malo, propulset quicquid detrimenti
Sathan vobis meditatur, vos regat, ornet, adaugeat,
et sic benedicat, ut egentibus porrò subvenire pos-
sitis. Datae Meisenheimio, Sede in Bipontinatu
Serenissimae Palatinae, Illustrissimi Ducis et
principis nuper defuncti, Johannis Palatini
Viduae. 18 Julij 1636

Fridericus Goelerus
minister Ecclesiae
Meysenh: et vicinarum
Inspector.

Justus Wolffius pastor
Circellanus nomine Mi-
nistrorum Praefecturae
Bipontinae

Johannes Pantaleon
Candidus Inspector
Lichtenbergensis.

Georgius Lothar
Pastor Frankovillanus,
nomine anti Praefecturae
NeoCastellanae.

282.

Excellentissime Dne.

Per mortem Doctoris Schickardi extincti luce pestiferâ
cum conjuge et quinque liberis vacat professio ~~[illegible]~~ juri-
dica in schola hac academicâ. Monui de ea re Cl.
virum Dnum Steinbergium I.U.D. ac simul viam
ei stravi apud Amplis. Magistratum nrum, qui meae
sed deferens commendationi jam aliquandiu ipsum
hic avidè expectat occasione alterius negotii in has
provincias venturum. Quod ubi evenerit oro Excell.tiam
tuam ut optimum virum literis commendatiis suis ad
Amplis: Magistratum nrum instruat, quo tanta auctori-
tate adjutus eo gratior ipsi sit. Memor sum pristini
beneficii tui in ipsum adeoque ne collati per commenda-
titias, quibus factum ut ad munus Consiliarii Dicasterii
aulici Heidelbergam vocaretur. Sed Patria, proh dolor
fatum rejecit eum Genevam. Vir est insignis eruditi-

onis